Preciosam hanc et Completissimam Thesium omnium

formâ in quarto ~~[illegible]~~ in Facultate Medica

Parisiensi editarum,

Et in quinque voluminibus nitidè Colligatarum,

Bibliothecae publicis usibus destinatae

Ornamentum Dedit,

nec non suae erga Facultatem venerationis et observantiae

Monumentum,

Hyacinthus Theodorus Baron antiquus Facultatis

Decanus:

M. Hyacintho Theodoro Baron ejus filio anno 1753.

THESES

tam Quodlibetariæ quam
Cardinalitiæ in ſcholis
ſaluberrimæ Facultatis
Medicinæ Pariſienſis
propugnatæ.

A die Jovis 30. Januarii 1597. ad
diem Jovis 4. Januarii anni 1674.

*Curâ & ſtudio M. Hyacinti
Theodori* BARON *D. M. P.
in ordinem digeſtæ.*

ANNO DOMINI
M.D.CCXIII.



BVLÆ METHODI GENERALIS urandorum morborum, quæ ſeptem ſectionibus explicantur,

A VIRO CLARISSIMO
M. RENATO MOREAV,

SALVBERRIMÆ FACVLTATIS MEDICINÆ PARISIENSIS DOCTORE celeberrimo, & Profeſſore Regio, in gratiam & vtilitatem φιλιατρῶν exaratæ.

TABVLA PRIMA.



ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ, morborum curatio, aut eſt generalis, aut particularis.

Generalis, quæ conſiſtit in vniuerſalibus quibuſdam præceptis atque Theorematis curandi morbos.

Particularis, quæ generali illa ad ſingulos quoſque & particulares morbos ſingularum partium depellendos vtitur, vulgoque Praxis Medica appellatur.

Generalis diuiditur in Μεθοδικὴν ἢ Τεχνικὴν, quæ vtitur Methodo & Arte, & Αμέθοδον ἢ Ατεχνον.

Μεθοδικῆς ἢ Τεχνικῆς duæ ſunt partes, πραγματικὴ ἢ Δογματικὴ, & παραδειγματικὴ ἢ πρακτικὴ. Πραγματικὴ ἢ Δογματικὴ, realis & doctrinalis, quæ expendit & examinat doctrinam generalem Methodi, traditque eius pręcepta ac fundamenta. Atque ſic explicat eius generalis Methodi

Naturam & Inſtrumentum.

NAturam, quæ in tribus conſiſtit, videlicet in eius Methodi Definitione, Diviſione, Fine ac Vſu.

Definitione,

Nominali & Eſſentiali.

Nominali, ſicque dicitur Hippocrati,

ὁδὸς καὶ τῶν ὀρθῶς ἐχόντων Δοκιμασία, καὶ τῶν μὴ [illegible] ἐκ...
quâ quæ rectè ſe habent, exploramus, quæ ve[illegible] ... [illegible]cus...
hendimus.

Medicis, Hippocrate poſterioribus, Μέθοδος à μετὰ & ὁδὸς, velut coniuncta & contracta via, aut ars per eiuſmodi breuitate tradita.

Eſſentiali, ſicque definitur à Medicis Methodicis:

Cognitio apparentium communitatum, quæ ad Medicinæ finem ſpectant aut conſpirant.

Dogmaticis, via cum ratione atque ordine procedendi à primo ad ſecundum, à ſecundo ad tertium, & ſic deinceps ad omnia quæ conſequuntur, donec ad id quod propoſitum eſt, perveniatur. Vno verbo, recta & conueniens remediorum vſurpatio.

Diviſione, quæ nulla vera & genuina exiſtit. Solet tamen diuidi à nonnullis in

Vniuerſalem & particularem. Illa omnium particularium eſt cõmunis: hæc, tam varia eſt quàm variæ ſunt morborum ſpecies.

Genericam & Specificam, quæ cum ſuperioribus dictis conveniunt.

Simplicem & compoſitam, quarum prior curat morbum ſolitarium ſeparatum à cauſa ſua, aut ab aliis affectibus. Poſterior verò curat morbum aut cum cauſa ſua coniunctum, aut aliis affectibus ſociatum.

Legitimam & extraordinariam. Illa pręcipit, vt quod alteri occaſionem prębuit, priori loco tollatur. Hæc in affectuum connexione vrgentiori primùm occurrit.

Artificialem & inartificialem, quarum illa vera eſt methodus. Hæc extra artem eſt, ac proinde nullum hîc habet locum.

Fine ac Vſu, qui eſt duplex, internus & externus. Internus, remedij inventio. Inuenti remedij debita vſurpatio. Externus, ſanitatis recuperatio.

Inſtrumentum, quo vtitur ad finem ſuum conſequendum, vocaturque ἔνδειξις. id eſt, indicatio. Quæ ſpectatur in ſe, & in ſuis partibus. In ſe, idque vel abſolutè, & comparatè.

Abſolutè, trifariam ſcilicet, penes eius definitionem, diuiſionem & proprietatem.

Definitionem, nominis & rei.

Nominis, & ſic Galeno dicitur, Ενδειξις, οἷον Εμφασις τῆς ἀκολουθίας.

is, seu agendi insinuatio.

...l, sicque definitur, Significatio eius quod fieri in singulis rebus debet, sumpta ex propria cuiusque rei natura.

Diuisionem, hoc modo diuiditur in propriè dictam, & impropriè dictam.

Propriè dictam, quæ quidem est vel primaria, vel secundaria.

Primaria, quæ primò & per se aliquid agendum insinuat. Estque duplex, ζωτικὴ seu vitalis, & θεραπευτικὴ seu curatrix.

Ζωτικὴ seu vitalis, quæ virium robur conseruat per similia. Indicat enim sui custodiam, hoc est vitæ conseruationem. Monet autem Galenus hanc indicationem, licèt primò & per se non pertineat ad curationem morborum, sed ad eam Medicinæ partem quæ sanitatem tuetur, per accidens tamen inseruire curatrici parti, quatenus aliquod præsidium administrandum suadet, vel ab eo administrando dehortatur.

Θεραπευτικὴ seu curatrix, quæ triplex, prima, secunda & tertia.

Prima, quæ indicat ablationem per contraria, petiturque ab affectu contra naturam, morbo, causa morbi, & symptomate.

Morbo, qui expelli debet per contraria.

Causa morbi, quæ auerti debet per prophylactica.

Symptomate, cui debentur mitigatoria.

Secunda, quæ insinuat an id quò tendimus, & prima indicatio postulat, sperari possit, petitúrque ex affectæ partis

Substantia, temperie, actione, vsu, situ.

Tertia quæ insinuat nobis remedia, quibus assequi possimus id quò tendimus, id est quod prima indicatio postulat, & secunda prestari posse declarat. Petitur à remedio, videlicet ab eius qualitate, quantitate, vtendi ratione, occasione.

Secundaria, συνένδειξις, coindicatio, quæ consentit cum indicatione, idemque cum ipsa suadet, sed secundariò tantùm. Petitur autem à temperamento, ætate, habitu, sexu, aëris constitutione, consuetudine.

Impropriè dictam, quæ quidem est duplex, videlicet ἀντένδειξις & Συναντένδειξις.

Ἀντένδειξις, contraindicatio seu repugnantia, quæ ex se & ex Natura sua nos reuocat ab eo, quod indicationes propriè dictæ agendum insinuabant, contrarium planè suadens: petiturque à Virium infirmitate.

Συναντένδειξις, Correpugnantia, quæ contraïndicationi eodem

modo fauet, quo indicationi coïndicatio. Proinde peti
dem, nempe

Temperamento, Ætate, Habitu, Sexu, Aëris constitutione, Consuetudine.

Proprietatem, quæ triplex, Prima, Secunda, Tertia.

prima, est quòd indicatio ex rei natura sumatur.

Secunda, quod vnius rei vna sit indicatio.

Tertia, quòd indicatio sit rerum quæ sunt intra corpus.

Comparatè, conferendo indicationes inter se, An sint Æquales, Impares.

Æquales, quo casu indicans quod magis vrget, est sequēdum.

Impares: Numero, Magnitudine. Quo casu indicantia potiora & validiora sunt sequenda, aliis tamen non neglectis.

Indicans, quod cùm sit eiusdem conditionis cum indicatione, habere debet easdem diuisiones. Consideratur ergo vel absolutè, vel comparatè.

Absolutè, considerando vires & proprietates cuiusque indicātis. Sicque dicitur propriè & impropriè.

Propriè, estque primarium, vel secundarium.

primarium, quod primò & per se aliquid agendum insinuat. Dividiturque in indicans vitale, & curatiuum.

Vitale, tale autem est virium robur, quod sui conseruationem indicat per similia.

Curativum, primum, secundum, tertium.

Primum, estque affectus contra naturam,

Morbus, Morbi Causa, Symptoma.

Secundum, est pars affecta, in qua spectatur

Substantia, Temperies, Actio, Vsus, Situs.

Tertium, est remedij delectus. In quo spectatur

Qualitas, Quantitas, Vtendi modus, Occasio seu Tempestivitas.

Secundarium, coïndicans dictum, estq; sextuplex, nempe

Temperamentum, ætas, habitus, sexus, aëris constitutio, consuetudo.

Impropriè, estque duplex, contraïndicans & correpugnans.

Contraïndicans, virium nempe infirmitas.

Correpugnans, estque sextuplex,

Temperamentum, ætas, habitus, sexus, aëris constitutio, consuetudo.

Comparatè, ſicque indicans vnum alteri collatum, pugnat viribus, paribus & imparibus.

Paribus, quo caſu indicans magis vrgens eſt ſequendum.

Imparibus, numero, magnitudine. Quo caſu indicantia, potiora, & validiora ſunt ſequenda, alijs tamen non neglectis.

Indicatum, quod conſideratur bifariam, generaliter, ſpecialiter.

Generaliter, quatenus expendit facultates præſidiorum omnium, nullâ habitâ ratione, an ſint Chirurgica, Pharmacevtica, aut Diætetica. Sicque præſidium inducit vel ἀλλοίωσιν, vel κενεαγγείην.

Ἀλλοίωσιν, alterationem, hoc eſt, quamlibet immutationem penes qualitates. Talis autem immutatio eſt quadruplex, alteratio, præparatio, coctio, corroboratio.

Alteratio ſpeciatim dicta, quæ eſt immutatio primarum qualitatum ſeu intemperierum tam ſimplicium quàm compoſitarum per contrarias qualitates.

Pręparatio humorum, quæ eſt correctio qualitatum ſeu diſpoſitionum tum corporis, tum humorum quæ purgationi obſtant.

Coctio ſeu pepaſmus, quæ eſt mitificatio ac velut maturatio crudorum humorum, quo ſecretione factâ aptiores reddantur ad evacuationem.

Corroboratio & κρατισμὸς, reſtitutio videlicet virium per morbum deperditarum, earumque ad naturalem ſtatum revocatio.

Κενεαγγείην, quæ eſt vaſorum quęlibet vacuatio tam ſenſibilis quàm inſenſibilis, in qua tria conſideranda veniunt,

Definitio, Diviſio, Officium.

Definitio, eſtque inanitio corporis, ope remediorum facta, depellendis morbis.

Diviſio, in vniuerſalem, particularem, ſenſibilem, inſenſibilem. Hæ omnes fiunt trifariam, primò, ſecundò, tertiò.

Primò, qua parte humores repunt.

Secundò, quò humores viam affectant.

Tertiò, per loca commoda & conferentia.

Officium, quod eſt triplex, Evacuatio, Revulſio, Derivatio.

Evacuatio ſimplex, quæ fit ad humoris copiâ vel qualitate luxuriantis imminutionem. In qua quidem ſpectatur

Inclinatio humoris, Viarum commoditas.

Revulſio, quæ eſt humoris fluentis, in contrariam partem retractio. In ea ſpectantur

Loci contrarietas. Rectitudo. Vaſorum communio.

Derivatio, quæ eſt humoris partim fluentis, partim conſiſtentis, per vicinam & proximam partem eductio. In illa conſideratur partis vicinia.

Specialiter, ſicque præſidium omne eſt triplex, Chirurgicum, Pharmaceuticum, Diæteticum.

Παραδειγματικὴ ἢ Πρακτικὴ, exemplaris & operatrix, quæ exponit rationem curandorum morborum per ſumma genera, morbi ſcilicet ſimilaris, organici, communis.

Similaris, immaterialis & materialis.

Immaterialis, ſimplicis & compoſiti.

Materialis, ſimplicis & compoſiti.

Organici penes conformationem, numerum, magnitudinem, ſitum.

Communis, ratione tumorum contra naturam, vulnerum, vlcerum, fracturarum & luxationum.

Αὐτόθεν ἢ ἄτεχνον, eſtque duplex, ſupernaturalis & naturalis.

Supernaturalis, quæ cauſam naturalem non agnoſcit. Eſtque divina & dæmoniaca.

Divina, quæ fit immediatè, vel mediatè.

Immediatè, à Deo.

Mediatè ab Angelis, Sanctis, (per miracula.)

Dæmoniaca. Eſtque vel diabolica, vel ſimpliciter ſuperſtitioſa.

Diabolica, quæ fit immediatè, vel mediatè.

Immediatè, à cacodęmone.

Mediatè, à magis, ſagis (per incantamenta.)

Simpliciter ſuperſtitioſa, per Aſtrologiam, magnetiſmum.

Naturalis, quæ cauſam naturalem habet; fitque vel quodam artificio, vel caſu.

Quodam artificio, ſed incerto, per experientiam Empiricorum, Analogiſmum Methodicorum, Inventum τεχνικὸν prudentium hominum.

Caſu & ſimpliciter fortuita dicitur.



SECUNDA TABULA.

TOTUM istud opus Therapeuticum dividitur à nobis in ſectiones ſeptem, quarum

Prima, continebit Methodum generalem, Dogmaticam & Doctrinalem de Indicatione, & Indicantibus.

Secunda, tractabit de Indicatis, hoc eſt de præſidiis generaliter ſumptis.

Tertia, ex præſidijs ſpecialiter ſumptis exponet Chirurgica.

Quarta, ex iiſdem præſidiis explicabit pharmaceutica.

Quinta, ex ijſdem præſidiis pertractabit Diætetica ad ægros pertinentia.

Sexta, Methodum medendi exemplarem complectitur circa morbum ſimilarem, organicum, & communem.

Septima, curationem medendi ἀμέθοδον & inartificialem exhibebit.

PARISIIS,

Proſtant Exemplaria apud NICOLAUM BOISSET, Typographum, in Platea Malbertina, ad inſigne D. Stephani.

M. DC. XLVII.

1647



LECTORI BENEVOLO.

Erratum non leve quod infeliciter irrepſit, ſic reſtitutum habeto.

Paginâ quartâ, inter 13. & 14. lin. iſta verba à capite adiicito.
In ſuis Partibus: Sunt autem duæ, Indicans, & Indicatum.